

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 12 (In profundo
pelagi procellis estuantibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 12 (In profundo
pelagi procellis estuantibus...)*

1248?

In profundo pelagi procellis estuantibus naufragante, ubi non inmerito desperaveram de salute, me preter omnem spem hominum ad portum salubrem reduxistis alium Lazarum ferro manus pedes,que ligatum et in monumento carceris iam fetentem vestra mirifica dextra suscitavit et eum mundo reddidit redivivum. Ubi tanta profecto caritatis, ubi tanta grada temporibus modernis in homine reperitur? Quam mira virtus, quam magna potencia, que suos revocat ab inferno de manium manibus imanium et Parcarum non parcendum nec parcarum edam in sevicie feritate! O vos omnes aliorum votis et usibus obsequentes, cur in vestris; laboribus frustramini vos metipsos? Resipiscite, resipiscite ab errore ad huius servicia concurrentes. Non enim est alius pius, benignus, utilis et salutifer dominus preter eum. Quis igitur tanto et tali viro libentissime non pareret et studiosissime non placeret, quem nedum bene meriti, sed eciam inmeriti reperiunt gratiosum. Ego demtim, egregie domine, cum nequirem litteris consequi virtutes in vestris visceribus habitantes nec efferre sermone possem ipsarum innumeram quantitatem, super hiis ulterius non procedo et hec ad presens verbis ad eandem non sufficientibus pretennittam linguam convertens ad illud, quod mihi corde suggeritur asserendum, ut de animo scilicet et persona, que perditis ceteris sola mihi de sola vestra grada supersunt, iuxta vestrum beneplacitum disponatis. Quid plura? Vos dominus, ego servus vester. Utamini servulo, sicut libet. Vestrum est, ut ad votum statuere et mandare, meum autem, ut in omnibus et per omnia fideliter et devote vestris iussionibus obsecundem.